



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

P. Basilicae XII. Apostol. & B. Sancti Petri ad vincula Presbyteris
Cardinalibus, apostolicae sedis Legatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

quatenus super tractatu illo nullatenus procedatis prius quam super hoc literas receperitis speciales nostrae intentionis & propositi expressivas, cum & vos nostrum super hoc debuissetis consulere beneplacitum voluntatis. Datum Laterani.

P. BASILICÆ XII. APOSTOL.

& B. Sancti Petri ad vincula Presbyteris Cardinalibus, apostolica sedis Legatis.

Super negotio societatis Thusciae per dilectum filium Priorem sancti Fridiani nostram & fratrum nostrorum vobis aperuimus voluntatem, ad cuius executionem negotij vos dare credimus operam efficacem. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus si rectores Thusciae ad id exequendum, quod per dictum Priorem vobis significavimus, induxistis, ut Pisani id ipsum pariter recipiant & observent moneatis attentius, & nisi vobis paruerint, interdictum minimè relaxetis. Si verò prædicti rectores adhuc non sunt voluntatem nostram, quam per sæpefactum Priorem significavimus, executi, quia satis videretur austerum, si Pisani civitas occasione societatis illius, quam nos, sicut nostis, conduximus totaliter approbandam, tamdiu interdicto ecclesiastico subjaceret, volumus & mandamus ut ab ejusdem civitatis civibus cautione recepta quod quæ pro honore & exaltatione Ecclesiae & libertate eorum ordinaverimus suscipiant & observent, interdictum sine dilatione qualibet relaxetis. Si autem super his debitam habere non poteritis cautionem, quia civitas ipsa, sicut dicitur, nunc temporis quasi videtur rectore carere, qui plenam in ea exercere valeat potestatem, spe bonæ promissionis quam nobis ejusdem civitatis nuncij fecerunt quod nostro Pisani cives debeant parere mandato, honesta sicut videritis occasione concepta, in eadem civitate divina officia appellatione remota detis licentiam celebrandi. Ita tamen quod si postmodum rectores Thusciae mandatum nostrum susceperint & servaverint, civitas ipsa interdicto subjaceat nisi & ipsa celeriter suscipere curaverit & servare. Datum Laterani.

*EPISCOPO ET
Capitulo Tragurien.*

Sicut tenor vestrarum literarum nobis aperuit, cum P. lator præsentium in sacerdotali esset officio constitutus, & tanta rerum temporalium indigentia laboraret, quod nec sibi nec suis progenitoribus seu fratribus in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprii corporis laboribus & maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore & acquisitione honesta suam & suorum posset indigentiam relevare. Contigit autem post hæc quod ipse longè à vestra civitate consistens, tam gravi cœpit ægritudine laborare, quod extra se positus desperaret de vita præsentis, & dum in tali esset articulo constitutus, à quodam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monasterium deportatus. Deinde paucis diebus elapsis, cum jam esset in principio suæ convalescentiæ, deposuit habitum, & de licentia ejusdem loci Abbatis monasterium dereliquit, & cupiens progenitorum suorum indigentis subvenire, à vobis suppliciter postulavit, ut posset, sicut prius, in sacerdotali officio ministrare, & vobiscum pariter conversari. Quid autem super his vobis fuerit faciendum, sacro apostolicæ sedis oraculo humiliter petitis edoceri. Nos igitur vestrae consultationi taliter duximus respondendum, quod licet ista duo inter se repugnantia videantur, ut scilicet quisquam sit extra se positus, & de præsentis vita desperet, si tamen eo tempore quo positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cum alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, præfatum Presbyterum denunciatis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam mentis suæ factus est compos, voluntate spontanea professionem fecerit monachalem. Datum Laterani.

MEDIOLAN. ARCHIEPISCOPO.

AD hoc unxit nos Deus oleo lætitiæ præ confortibus nostris, ut diligamus justitiam, & odiamus iniquitatem, quod tunc laudabiliter adimplemus, cum via regia incedentes, non declinamus ad dexteram, neque ad sinistram aliquatenus deviamus, sed justè quod justum est persequentes, nec pau-

Epist. 36.
Quod B. Presbyter non teneatur ad observantiam habitus monachalis, ex eo quod cum gravi ægritudine laboraret, à quodam monacho indutus est habitu monachali.
Cap. Sicut tenor. De regularibus.

Epist. 37.
Super questione que inter ipsum & monasterium sancti Donati de Scozula.
Cap. Ad hoc. De sequens. poss.